

tendatur aequalitas, utrum secundum unitatem essentiae, vel secundum unitatem relationis; et ostendit quod secundum unitatem essentiae; et ideo aequalitas secundum essentiam dicitur; et hoc ibi: *Est tamen aequalis Patri Filius*. Tertio quaerit quid sit aequalitas, et ad hoc respondet, quod est relatio in Deo secundum nomen tantum, ibi: *Et appellatio tantum relativa est*.

Imago enim si perfecte implet illud cuius imago est, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae. Ex hoc videtur quod in divinis non sit mutua aequalitas, si Pater suae imagini non coaequatur. — Sed dicendum, quod sicut Filius est aequalis Patri, ita et Pater Filio, cum quantitas virtualis perfecte sit in utroque. Sed coaequare dicit motum ad coaequalitatem; et quamvis in divinis non sit motus, est tamen ibi acceptio aequalitatis; et quia Filius accipit aequalitatem a Patre et non e converso, ideo Filius coaequatur Patri et non e converso.

Identitatem (1) id est omnia idem in natura. Hilarius lib. de Synod.: *Imago est ejus ad quem coimaginatur species indifferens*. Haec notula inducitur ad ostendendum quod imago coaequatur ei cuius est imago: in qua notula duo facit Hilarius: primo ponit definitiones imaginis quae patent ex his quae dicta sunt, 28 dist.; secundo ex illis definitionibus concludit duas conclusiones; per quarum unam ostenditur distinctio Filii a Patre ex hoc quod imago ad aliquid refertur; et hoc ibi: *Est ergo Pater et Filius, quia imago Patris est Filius*: per secundam vero ostenditur unitas naturae propter speciem indifferentiam, quae est de ratione imaginis, et hoc ibi: *Qui imago (2) est, ut vere imago sit, speciem necesse est et naturam et essentiam in se habent auctoris*.

Alia notula: *Si quis innascibilem (3) et sine initio dicat Filium tanquam duo sine principio sive duo innata dicens, anathema sit*. Haec notula inducitur ad ostendendum quomodo omnia sunt unum propter Patrem, et est intentio Hilarii dicere, quod cum in qualibet natura sit unum principium non de principio, si aliquis poneret in divinis duos innascibiles, poneret duas naturas, et ita duos deos. Sed oportet ut secundum ordinem unius naturae sit relatio in unum principium non de principio qui est Pater: *Ininitabile*, id est initiativum (4):

(1) In editione Parisiensis an. 1660 curante Nicolai: "Sed ad identitatem respondens ei cuius imago est: ubi (supple) est prima, et summa vita, cui non aliud vivere, aliud esse, sed idem est, idem, omnia idem in natura. Ex Hilario porro in libro de Synodis adversus Arianos notulae plures addi possunt, quas ex definitione vel expositione fidei Synodicae collegi; ac hinc et inde sparsim, nec eadem serie, quae hic planius explicavit. Prima notula: *Imago est ejus ad quem coimaginatur species indifferens*: vel potest ad rem corespondendam imaginata et indifferente similitudo etc. Haec notula inducitur etc. Ad magisquam autem sequentem notam appingit. Quae in Magistri textu non habetur, et hic ex abundantia quaerit ab Angelico interprete ad pleniorum expressionem praedictorum. Prius autem sic tantum: a Hilario lib. de Syn. *Imago est, etc.* Haec notula inducitur etc. obscuro plane sensu ac implicato, quem divinarum oportuit, et hic supplere. Haec ille.

(2) Al. *Imago etc.*

(3) Al. *Si quis innascibilem etc.* Non Hilarii, sed Synodi verba esse ab Hilario explicata con. 26 notat idem Nicolai. (4) Id est initiativum (vel fortasse ad unum ininitabile seu in-iti expers) omnium initium per Filium universa referuntur. Addit quod *innascibilem essentia nata existat*; id est ex Patre innascibili qui est essentia. Tum deinde, quod sicut

Ex innascibili essentia, id est ex Patre innascibili qui est essentia.

Omnia haec gradu referuntur ad Deum. Contrarium est quod supra dixit Hieronymus, 25 dist., quod in divinis personis non est gradus. Et dicendum, quod hic ponit duplicem relationem: unam creaturae ad Filium, et in hac relatione est gradus; et aliam Filii ad Patrem, in qua non est gradus. Potest tamen dici quod gradus large sumitur pro ordine.

Alia notula. *Omibus creaturis substantiam voluntas Dei contulit, sed naturam Filio dedit ex impassibili ac non nata substantia, perfecta nativitas*. Haec notula inducitur ad ostendendum quomodo Pater et Filius unum sunt in natura; quod probat sic. Quia principium creationis rerum est voluntas; et ideo tales fecit Deus res quales voluit, et non qualis ipse est in natura sua. Sed principium generationis Filii est natura Patris. Ergo oportet quod Filius non solum sit talis qualem Pater voluit, sed qualis Pater est in natura; unde dicit: *Sed genitus in substantia Dei, id est Filius*, qui est natus de natura Patris, *attulit*, id est accepit, *secundum originem*, id est per generationem, *essentiam naturae*, id est talem essentiam qualis est natura Patris, *non essentiam voluntatis*, id est qualem voluntas habuit, *secundum creaturas*, id est sicut creaturae acceperunt.

Alia notula. *Minus forte (1) expresse videtur de indifferenti similitudine Patris et Filii locuta esse Synodi fides; maxime cum de Patre et Filio et Spiritu sancto ita senserit significatam in nominibus propriam uniuscujusque nominatorum substantiam et ordinem et gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum*. Hoc inducitur ad ostendendum quomodo omnia connexa sunt per Spiritum sanctum. Et intentio Hilarii est recitare quod caedam Synodus fuit congregata contra Sabellianos, qui dicebant eandem esse personam Patrem et Filium et Spiritum sanctum; contra quos Synodus, ad hoc ut distingueretur ordo personarum et gloria, vel dignitas personalis, et substantia, id est hypostasis, confessa est esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum per substantiam tria, et per consonantiam unum. Et acceperunt substantiam, non pro essentia, ne divisionem essentiae, secundum Arianos, inducerent; sed pro hypostasi, ut Sabellianam confusionem excluderent. Et dixerunt quod sunt per consonantiam unum, inquam uniuertur amore, qui est Spiritus sanctus.

Quae veritatem Patris (2) et Filii et Spiritus sancti, nominum numero eluderet. Sabelliana haeresis dixit, istis nominibus distinctis *Pater et Filius et Spiritus sanctus*, quae in Scriptura inveniuntur, non subjacere aliquam in re distinctionem; et quod eadem res habuit nomen *Pater et Filius et Spiritus sanctus*; ex quo sequebatur quod non esset veritas nominum: quia nulla res vere sit ipsis pater est.

Alia notula. *Cum Deum Patrem necessario confitemur, et absolute Christum Dei Filium Deum praedicamus; non possunt secundum naturae indifferentiam non esse unum*. Haec notula inducitur

"caput omnium Filius est, sic et caput Filii Deus: et quod proinde ad unum Deum omnia gradu referuntur. Objici vero potest, contrarium esse quod Hieronymus dixit supra etc."

(1) Al. tantum: *Unius forma etc.*

(2) Al. tantum: *Qua veritatem Pater etc.* Supple ex Hilario: *Volentes eam impietatem perimere quae etc.*

etiam contra Sabellianos et Arianos. Dicit enim simul, quod cum nos nominemus Filium Deum sicut et Patrem, et non dicamus plures Deos, sed unum; constat quod essentia Patris et Filii est una, cuius nomen est unum, id est singulariter praedicitur; quia uterque dicitur Deus. Sed ex hoc non sequitur quod non sit aliqua persona genita, quae accipit essentiam eandem numero a persona generante.

Religiosa unitas (1), id est fidelis confessio qua

(1) Al. *unio*.

DISTINCTIO XXXII.

Utrum Pater vel Filius Spiritu sancto diligat, cum diligere idem Deo sit quod esse.

Hic oritur quaestio ex praedictis deducta. Dictum est enim supra (dist. 40), atque sanctorum auctoritatibus ostensum, quod Spiritus sanctus est communio Patris et Filii, et amor quo Pater et Filius se invicem diligunt. Ideo quaeritur, utrum Pater vel Filius per Spiritum sanctum diligat. Quod utique videtur oportere dici secundum auctoritates supra postas, quibus ostenditur, Spiritum sanctum esse quo genitus a genitore diligitur, genitoremque suum diligit. Sed e contra, si Pater vel Filius deatur diligere per Spiritum sanctum, videtur esse per Spiritum sanctum, quia non est aliud Deo esse et aliud diligere, sed idem: quia, ut ait Augustinus (in 13 lib. de Trin., cap. 3), si quilibet secundum qualitates in illa simplici natura dici videtur, secundum essentiam est intelligendum, ut bonus, magnus, immortalis, sapiens, diligens, et huiusmodi. Ideoque si Pater vel Filius diligit per Spiritum sanctum, per ipsum Spiritum esse videtur: neque tantum essentia sua diligit, sed etiam dono.

Haec quaestio insolubilis est, humanarum superans sensum, in qua auctoritates sibi occurrunt.

Hic quaestio, cum altitudinem nimiae profunditatis continet, id solum respondens quod Augustinus significare videtur, scilicet quod Pater et Filius se diligant, et unitatem servant, non solum essentia sua, sed suo dono proprio: quod licet supra possum sit (dist. 40), iterum tamen non piget, quia sic expedit. Ait ergo Augustinus (in 6 lib. de Trin., cap. 3), ita: *Manifestum est quod non aliquis duorum est quo uterque conjungitur, quo genitus a genitore diligitur, genitoremque suum diligit, sicut non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alieius, sed suo proprio servantes unitatem pacis*. Ecce hic dicit, quod essentia sua et dono suo servant unitatem. Idem (in 13 lib. de Trin., cap. 7), ait: *In illa Trinitate quis audeat dicere, Patrem nec se nec Filium nec Spiritum sanctum diligere, nisi per Spiritum sanctum?* Hic aperte ostendit, Patrem non tantum per Spiritum sanctum diligitur. Non autem simpliciter dicit, Patrem non diligitur per Spiritum sanctum.

Utrum Pater sit sapiens sapientia quam genuit, sicut diligit amore qui ab ipso procedit.

Praeterea diligenter investigari oportet, utrum Pater sapiens sit sapientia quam genuit, quae tantum Filius est: quod videtur a simili posse probari. Si enim Pater diligit amore qui ab ipso procedit, cur non et sapientia vel intelligentia quam ipse genuit, sapit vel intelligit? Hanc quaestionem urgere videtur (ut ait Augustinus in 6 lib. de Trin., cap. 1), quod scripsit Apostolus dicens (1 Corinth. 1, 24), *Christum Dei virtute et Dei sapientiam*. Ubi quaeritur, utrum ita sit Pater sapientiae et virtutis suae, ut haec sapientia sapiens sit quam genuit, et haec virtute potens quam genuit. Sed absit ut ita sit, quia si hoc est, ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam quam genuit, sapiens dicitur Pater; alioquin non ipsa ab illo, sed ille ab ipsa est. Si enim sapientia quam genuit, causat esse illi ut sapiens sit, etiam ut sit ipse, illi causa est: quod fieri non potest, nisi genuendo eam, aut faciendo. Sed nec genitricem nec condi-

nomen Dei singulariter, non communiter (1) praedicatur. *Non ademit*, id est non abstulit, *personae genitrici essentiam*, id est personam Filii geniti, quae est essentia, *constitutam*, id est natam ex essentia Patris *indeficientis* (2) naturae.

(1) Al. et communiter.

(2) *Melius* indifferentis, ut habet editio Nicolai, in qua etiam subditur id est ex essentia Patris, qui natura non differt a Filio etc.

tricem, Patris nullo modo quisquam dixerit sapientiam: quid enim est insensius? Ergo Pater ipsa sapientia est qua sapiens est, Filius vero dicitur sapientia Patris et virtus Patris, non quia Pater per eum sit sapiens vel potens; sed quia Filius sapientia et virtus est de Patris sapientia et virtute. Ex his ergo patet quod Pater non est sapiens sapientia genita, sed seipso sapientia ingenita.

Utrum Filius sit sapiens sapientia genita, vel ingenita.

Post haec quaeri solet a quibusdam, utrum Filius sit sapiens sapientia genita, vel ingenita. Si enim non est sapiens sapientia genita, nec seipso sapiens est. Si vero sapientia genita sapiens est, non videtur sapiens esse sapientia ingenita: et ideo non videtur esse sapiens a Patre, cum a Patre habeat omnia. Ad quod dicitur, quod una est sapientia Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut una essentia: quia sapientia in illius naturae simplicitate est essentia; et tamen Filius tantum est sapientia genita, et Pater tantum est sapientia ingenita, et sapientia genita est de sapientia ingenita, vel a sapientia ingenita. Et cum idem sit ibi esse quod sapientem esse, relinquatur ut sapientia genita sit sapiens de sapientia ingenita. Non ergo Filius dicitur sapientia Dei, tantquam ipse solus intelligens sit vel sapiens sibi et Patri et Spiritu sancto: quia, ut ait Augustinus (in lib. 13 de Trin., cap. 7), *si solus ibi Filius intelligit et sibi et Patri et Spiritu sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de seipso, sed de Filio; nec sapientia sapientiam genuit; sed ea sapientia Pater dicitur sapiens esse, quam genuit*. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse. Ideoque si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapientem facit. Et si hoc est Deo esse quod sapere, et ea illi est essentia quae sapientia, non Filius a Patre (quod verum est), sed a Filio potius Pater habet essentiam: quod absurdissimum atque falsissimum est. Est ergo Deus Pater sapiens ea, quae ipse est, sua sapientia, et Filius sapientia Patris est, sapiens de sapientia quae est Pater de quo est genitus Filius. Ita et Pater est intelligens ea, quae ipse est, sua intelligentia: non enim esset sapiens qui non esset intelligens. Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus est, quae est Pater, de qua et intelligens est. Proinde de Pater est sapientia, et Filius sapientia, et uterque una est sapientia; et tamen solus Pater est ingenita sapientia, et Filius solus genita sapientia; nec tamen alia sapientia Pater, alia sapientia Filius, sed una eademque est, sicut Pater est Deus ingenitus, et Filius est Deus genitus; neque Deus genitus est Deus ingenitus. Non ideo tamen alius Deus est Pater, alius Filius, sed unus Deus uterque, non autem unus. Alius est enim genitus, sed non alius Deus; immo uterque unum, sive unus Deus. Ita non est sapientia genita sapientia ingenita; sed alia est sapientia genita, alia ingenita; non tamen est alia sapientia, sed una eademque sapientia.

An Filius sit sapiens seipso, vel per seipsum.

Ex praedictis constat quod Filius non est sapiens a se neque de se, sed de Patre et a Patre. Quaeri autem solet, utrum Filius sit sapiens seipso, vel per seipsum. Quidam dicunt multiplicem hic fieri intelligentiam; et ideo distinguen-

dum fore itaq. ut cum dicitur, Filium esse sapientem seipso vel per seipsum: si sui natura et essentia sapientem intelligas, verus sit intellectus: si vero seipso vel de seipso sapientem esse intelligas, falsitati subiectam habes intelligentiam. Alii vero simpliciter et absque determinatione concedunt huiusmodi locutiones: Filius est sapiens per se, sed non a se vel de se: et Filius est Deus per se, et est per se; sed non a se vel de se: hoc confirmantur verbis Hilarii, qui Filium non a se, sed per se agere (in lib. 9 de Trinit., post med.) ait: «Naturae (inquit) cui contradicimus haereticis, haec unitas est, ut ita per se agat Filius ne a se agat, et ita non a se agat ut per se agat. Intelligit Filium agentem, et per eum Patrem agentem. Non a se agit cum Patre in eo manere monstratur: per se agit cum secundum naturam Filii agit ipse quae plura sunt. Infirmitas sit non a se agendo, nisi a Deo ipse agit: non sit vero in unitate naturae si quae agit et in quibus placet, non per se agit. Sicut ergo, inquit, Filius per se agit sed non a se; ita et Filius debet dici sapiens per se, sed non a se. Sic et ipse per se Deus est, vel esse dicendus est, ut ajunt: sed non a se vel de se.

An una tantum sit sapientia Patris.

Post haec a quibusdam quaeri solet, utrum una tantum sit sapientia Patris. Quod non esse, nituntur probare hoc modo. Filius, inquit, est sapientia Patris genita, quae Pater sapiens non est. Est igitur aliqua sapientia Patris quae sapiens non est. Autem et sapientia Patris ingenta, et ea Pater sapiens est. Est ergo quaedam sapientia Patris quae sapiens est, et ipsa non est illa sapientia Patris quae Pater sapiens non est. Non est ergo una tantum sapientia Patris. Item. Sapientia ingenta est sapientia Patris, et sapientia genita est sapientia Patris. Non est autem sapientia ingenta sapientia genita. Non est igitur una tantum Patris sapientia. Haec et his similia, tanquam sophistica et a veritate longinqua, cunctisque in Theologia peritis potentia, abijcimus, responso indigna advertentes. Id tamen adiciendum, quia una est tantum sapientia Patris; sed non uno modo dicitur. Nam sapientia Patris dicitur illa quam genuit, et sapientia Patris dicitur ea quae sapiens est. Diversa est ergo ratio dicti. Illa enim dicitur Patris quia eam genuit: et ea dicitur sapientia Patris, quia ea sapit. Una est tamen sapientia Patris, quia sapientia genita est eadem sapientia et ea quae sapiens est: sive ea quae sapiens est intelligatur persona Patris sive essentia Patris: quia persona Patris, quae intelligitur cum dicitur sapientia ingenta, et persona Filii, quae significatur cum dicitur sapientia genita, una eademque sapientia est quae essentia divina intelligitur communis tribus personis.

Quod in Trinitate est dilectio, quae est Trinitas; et tamen Spiritus sanctus est dilectio, quae non est Trinitas; nec ideo duae sunt dilectiones; ita et de sapientia.

Et sicut in Trinitate dilectio est, quae est Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quae est ipsa essentia Deitatis: et tamen Spiritus sanctus dilectio est quae non est Pater vel Filius; nec ideo duae dilectiones sunt in Trinitate: quia dilectio quae proprie Spiritus sanctus est, est dilectio quae Trinitas est, non tamen ipsa Trinitas est: sicut Spiritus sanctus est essentia quae Trinitas est, non tamen ipse Trinitas est: ita in Trinitate sapientia est quae est Pater et Filius et Spiritus sanctus, quae est essentia divina; et tamen Filius est

Divisio textus.

Postquam determinavit de propriis et appropriatis personarum, hic inquiri qualiter ad invicem divinae personae comparantur secundum propria vel appropriata; et dividitur in partes tres: in prima ostendit qualiter comparantur secundum proprium vel appropriatum Spiritui sancto; in secunda qualiter comparantur secundum proprium vel appropriatum Filii; ibi: Praeterea diligenter investigari oportet, utrum Pater sapiens sit sapientia quam genuit; in tertia inquiri qualiter comparantur secun-

sapientia quae non est Pater vel Spiritus sanctus. Nec ideo duae sapientiae ibi sunt; quia sapientia quae proprie est Filius est sapientia quae est Trinitas, ipsa tamen non est Trinitas: sicut Filius est essentia, quae est Trinitas; ipse tamen non est Trinitas.

Qua ratione Pater non dicitur sapiens ea sapientia quam genuit, eadem videtur debere dici quod non sit diligens Pater vel Filius dilectione quae ab utroque procedit.

Praeterea diligenter notandum est quod ea ratione quae Pater non dicitur sapiens ea sapientia quam genuit, videtur fore dicendum quod Pater non diligit Filium vel Filium Patrem ea dilectione quae ab utroque procedit, scilicet quae proprie Spiritus sanctus est. Sicut enim idem est Deo sapere quod esse, ita est et idem diligere quod esse. Ideoque sicut negatur Pater esse sapiens sapientia quam genuit; quia si ea diceretur sapiens, non ipsa ab eo, sed ipse ab ea intelligeretur esse; ita videtur non debere concedi, quod Pater vel Filius diligit dilectione quae tantum Spiritus sanctus est: quia si ea diligit Pater vel Filius, non Spiritus sanctus videtur esse a Patre et Filio, sed Pater et Filius a Spiritu sancto, quia idem est ibi diligere quod esse. Ad supra dictum est (dist. 10) atque auctoritate Augustini sanctum (3 de Trinit., cap. 5) quod in Trinitate tria sunt, unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio; et non est aliquis duorum quo genitus a genitore diligitur, et genitor suum diligit, (quibus verbis aperte significatur, quod Pater et Filium Patrem diligit, et scilicet dilectione quae non est aliquis eorum sed tantum Spiritus sanctus. Cum idem ergo sit ibi diligere quod esse, quomodo dicitur Pater vel Filius non esse ea dilectione quae alter alterum diligit? Cum ideo Pater negetur sapere sapientia quam genuit, ne ea esse intelligatur.

Quod et haec quaestio inexplicabilis est, quae excedit infirmitatem hominis.

Difficilem mihi fateor hanc quaestionem, praecipue cum ex praedictis oriatur quae similem videtur habere rationem, quod meae intelligentiae atque infirmitati turbatur, cupiens magis ex dictis sanctorum referre quam afferre. «Optimus enim lector est (inquit Hilarius in 50 lib. de Trinit., circa med.) qui ditorum intelligentiam expectet ex dictis potius quam imponat, et retulerit magis quam attulerit: neque cogat id videri dictis contineri quod ante lectionem praesumpserit intelligendum. » Cum ergo de rebus Dei sermo est, concedamus Deo sui cognitionem, deique eius pia veneratione famulemur. Investigat ergo diligenter pius lector rationem ditorum; si forte ditorum aliquam valeat reperire causam, quia nota, ipsa praemissa questio aliquatenus explicari valeat. Ergo autem hanc quaestionem non absolvens, sed errorem excludens, profiteor, non esse dicitur Patrem diligit Filium vel Filium Patrem, ea dilectione quae ab utroque procedit, quae non est aliquis eorum, sed tantum Spiritus sanctus, tanquam ea dilectione Pater sit vel Filius. Sed sic ea Pater diligit Filium et Filius Patrem ut etiam Pater per se ea, quae ipse est, dilectione diligit: sic et Filius: non autem sicut Pater per se non diligit et Filius, sed per eam tantum. «Quis haec in illa Trinitate (inquit Augustinus lib. 13 de Trinit., cap. 8), opinari vel affirmare praesumat? » Eam tamen quaestionem lectorum diligentiae penitus dijudicandam atque absolvendam relinquo, ad hoc minus sufficientes.

dum utrumque simul; scilicet de uno per comparisonem ad alterum, ibi: Praeterea diligenter notandum est. Circa primum duo facti: primo movet quaestionem; secundo determinat eam, ibi: Haec quaestioni . . . id solum respondendum.

Praeterea diligenter investigari oportet. Hic inquiri quomodo comparantur secundum appropriatum Filii, quod est sapientia; et dividitur in partes duas: in prima movet quaestionem, et determinat veritatem; in secunda excludit quandam dubitationem ex determinatione occasionatam, ibi: Post haec quaeri solet a quibusdam, utrum Filius sit

sapiens sapientia genita, vel ingenta. Prima in duas: in prima inquiri utrum Pater sit sapiens sapientia genita, vel ingenta, et determinat eam; in secunda inquiri utrum Filius sit sapiens sapientia genita, vel ingenta et determinat eam; primo ostendens quod non est sapiens sapientia genita sed sapientia ingenta; secundo ostendens quod est sapiens per sapientiam genitam (1). Et sic patet responso ad quaestionem per distinctionem; quia ablativus sapientia potest construi in habitudine principii efficientis; et sic est sensus, quod sit sapiens a sapientia genita; et hoc falsum est: vel potest construi in habitudine causae formalis; et sic est sensus, quod sit sapiens per sapientiam genitam formaliter, et hoc verum est; et hoc dicit, ibi: Ex praedictis constat quod Filius non est sapiens a se, neque de se.

Post haec a quibusdam solet quaeri, utrum una tantum sit sapientia Patris. Hic excludit dubitationem ex praedictis ortam; et circa hoc tria facit: primo movet dubitationem; secundo ponit determinationem, ibi: Haec et similia (2) tanquam sophistica . . . abijcimus; tertio manifestat per similitudinem; ibi: Et sicut in Trinitate dilectio est quae est Pater, Filius et Spiritus sanctus . . . et tamen Spiritus sanctus dilectio est, quae non est Pater vel Filius . . . ita in Trinitate sapientia est quae est Pater et Filius et Spiritus sanctus . . . et tamen Filius est sapientia quae non est Pater vel Spiritus sanctus.

Praeterea diligenter notandum est. Hic inquiri de uno per comparisonem ad aliud; et primo movet quaestionem; secundo addit quaestionis difficultatem, relinquens quaestionem insolutam, ibi: Difficilem mihi (5) fateor hanc quaestionem.

QAESTIO I.

Hic est duplex quaestio. Primo de his quae pertinent ad Spiritum sanctum. Secundo de his quae pertinent ad Filium.

Circa primum quaeruntur tria: 1.º utrum Pater diligit Filium Spiritu sancto; 2.º utrum Pater diligit se Spiritu sancto; 3.º utrum Pater et Filius diligit nos Spiritu sancto.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Pater diligit Filium Spiritu sancto.

(1 p., qu. 39, art. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod Pater non diligit Filium Spiritu sancto. Sicut enim idem est Deo esse quod sapere, ita idem est Deo esse quod diligit. Sed Deus Pater non dicitur esse aliquo modo Spiritu sancto. Ergo videtur quod nec diligit.

2. Praeterea, cum dicitur: Pater diligit Filium Spiritu sancto, oportet quod ablativus constituatur in habitudine alicujus causae, vel quasi efficientis, vel quasi formalis. Sed omnis talis constructio potest resolvi et exponi per aliquam praepositionem designantem habitudinem causae. Ergo videtur quod Pater diligit Filium vel a Spiritu sancto, vel per Spiritum sanctum. Harum autem utraque videtur esse falsa; quia Spiritus sanctus non habet aliquam

habitudinem principii respectu Patris; sicut praepositio designat. Ergo videtur quod etiam haec sit falsa: Pater diligit Filium Spiritu sancto.

3. Item, hoc verbum diligit aut significat actum essentialium aut notionalem. Si essentialium, cum idem iudicium sit de omnibus essentialibus, poterit loco ejus poni alius actus essentialis; ut dicitur Pater vivere Spiritu sancto, vel intelligere aut velle; quod falsum est. Si autem dicat actum notionalem, non dicit aliam notionem quam communem spirationem. Ergo loco ejus poterit poni hoc verbum spirat, ut dicitur: Pater spirat Spiritum sanctum Spiritu sancto; quod falsum est. Ergo et prima omnibus modis falsa est.

4. Praeterea, omnis amor quo alicui se diligunt, est vinculum vel nexus uniens eos. Sed Spiritus sanctus non potest unire Patrem et Filium; quia omne uniens habet aliquem influxum super unita, sicut unionem faciens. Ergo videtur quod Pater et Filius non diligit se Spiritu sancto.

Contra, sicut amor alienius hominis procedit ab eo, ita et Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio ut amor. Sed unus homo diligit alium amore qui ab ipso procedit. Ergo et Pater diligit Filium Spiritu sancto, qui est amor ab ipso procedens; et est ratio Hugonis de Sancto Victore (lib. de Trinit., cap. 23, et in epist. ad Bernard.) (1).

Praeterea, omnis amor perfectus aliquid diligit. Si ergo Spiritus sanctus est amor perfectus, quod utique verum est, videtur quod eo aliquis diligit, et a tunc diligitur. Sed non nisi Pater et Filius. Ergo Pater et Filius diligit se Spiritu sancto.

Solutio. Respondet dicendum, quod circa hoc sunt plurimae opinionum.

Quidam enim dicunt omnes hujusmodi locutiones esse falsas, et in suo simili ab Augustino retractatas, ubi retractavit quod prius dixerat, Patrem sapientia ab eo genita sapientem esse, ut in notula in littera posita patet. Sed hoc non videtur conveniens; quia Augustinus ea quae retractare voluit, specialiter expressit; et praeterea ipse non retractavit dicta aliorum, sed tantum sua. Unde cum ipse et omnes alii communiter talibus locutionibus utantur, praesumptuosum videtur eas negare.

Ideo alii dicunt, eas quidem veras esse, sed improprias, et sic exponendas: Pater et Filius diligit se Spiritu sancto, id est amore essentiali, qui Spiritui sancto appropriatur. Hoc etiam non videtur conveniens; quia sic etiam Pater diceretur sapiens Filio, id est sapientia essentiali, quae Filio appropriatur, et diceretur bonus Spiritu sancto propter eandem rationem.

Ideo alii dixerunt, quod est vera et propria; et horum multiplex est opinio.

Quidam enim dicunt, quod ablativus ille resolvable est in praepositionem, ut sit sensus: Pater diligit Filium Spiritu sancto, id est per Spiritum sanctum; et tunc quod ly per denotat subautoritatem in Spiritu sancto, et auctoritatem in Patre et Filio, sicut cum

(1) Colligitur ex eruditionibus didascalis lib. 7 qui inscribitur de Summae Trinitatis agnitione cap. 23, plenus vero ex epistola non Hugonis, ut prius ad marginem indicabatur, sed Richardi potius ad Bernardum; quamvis Hugonem quoque ad Bernardum scripsisse responso Bernardi manifestat, scilicet epist. 77 quae in edit. novis Liber est ad Hugonem extra seriem Epistolarum Tom. 4. Sed epistola ipsiusmet Hugonis ad Bernardum in ejus operibus non extat, nec ipsius Bernardi responso quicquam continet hae pertinens. (Ex edit. P. Nicolai.)

(1) Al. ingenitam.

(2) Al. Sed et his similia.

(3) Al. Difficile est mihi, etc.

S. Th. Opera omnia. V. 6.

dicitur; quod Pater operatur per Filium. Sed hoc non videtur conveniens; quia per praepositionem per designatur habitudo causae in casuali cui adiungitur, quamvis non respectu operantis, sed respectu operati. Filius enim habet causalitatem in creatura, quamvis non sit principium operationis in Patre. Sed cum dicitur: *Pater diligit Filium per Spiritum sanctum*, non denotatur aliquis effectus in creatura, nec aliquid ejus principium Spiritus sanctus sit; et ideo non est similis ratio dicendi.

Et ideo quidam dicunt quod ablativus construitur in habitudine signi, et quasi effectus; quia sicut generatio quodammodo terminatur ad Filium, ita spiratio quae designatur in dilectione, terminatur ad Spiritum sanctum. Unde exponunt sic: *Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto*; id est, Spiritus sanctus est signum quod Pater et Filius diligunt se. Sed hoc non videtur conveniens; quia etiam amor creatus est signum dilectionis, quia Pater et Filius diligunt se; et ita per viam istam diceretur, quod Pater et Filius diligunt se amore creato, quod falsum est. Praeterea Spiritus sanctus est amor Patris, et amore formaliter aliquid diligitur; et ita Spiritu sancto, etiam formaliter loquendo, Pater diligit.

Et ideo alii dixerunt, quod ablativus ille construitur in habitudine formae; quia Pater et Filius formaliter amore diligunt qui est Spiritus sanctus. Sed hoc etiam ex toto non videtur sufficiens; quia forma non denominat aliquid nisi inhaerens; et ita cum Spiritus sanctus non se habeat ad Patrem ut inhaerens, sed ut per se subsistens, non potest esse quod sit sicut forma eliciens actum dilectionis. Et praeterea forma habet rationem principii respectu ejus cuius est forma, quaeumque forma sit, vel quantum ad esse substantiale, vel accidentale, et operationem consequentem; et ita Spiritus sanctus esset principium alicujus in Patre; quod falsum est.

Et ideo alii dixerunt, quorum videtur esse auctor Hugo de S. Vietore ubi supra, quod construitur in habitudine quasi effectus formalis, ut dicitur effectus largo modo omne id quod a principio est, quia proprie in divinis non est efficiens et effectum; et formale dicitur, quod habet actum formae in denominando. Et est sensus: A Patre et Filio procedit amor, qui est Spiritus sanctus, quo diligit se. Unde haec opinio simul concludit duas ultimas praedictarum; unde perfectius continet veritatem, et sibi consentiendum videtur.

Tamen ad explanationem ejus sciendum est, quod secundum diversam naturam generis diversus est modus denominationis. Quaedam enim genera secundum rationem suam significant ut inhaerens, sicut qualitas et quantitas, et hujusmodi; et in talibus non fit denominatio nisi per formam inhaerentem, quae est secundum aliquid esse vel substantiale vel accidentale. Quaedam autem significant secundum rationem suam, ut ab alio ens, et non ut inhaerens, sicut praecipue patet in actione. Actio enim, secundum quod est actio, significatur ut ab agente; et quod sit in agente, hoc accidit sibi in quantum est accidens. Unde in genere actionis denominatur accedens per id quod ab eo est, et non per id quod principium ejus est; sicut dicitur actione agens; nec tamen actio est principium agentis, sed e converso. Et si per impossibile poneretur esse aliquam actionem quae non esset accedens,

non esset inhaerens, et tamen denominaret agentem, et tunc agens denominaretur per id quod ab eo est, et in eo non est ut inhaerens. Sed quia cujuslibet actionis principium est aliqua forma inhaerens, ideo aliquid potest dici agens duobus modis; vel ipsa actione, quae denominat agentem et non est principium ejus; vel forma, quae est principium actionis in agente, et secundum quod principium agentis; sicut dicimus ignem moveri sursum motu proprio, et levitate.

His visis, patet de facili qualiter concedendum sit quod dictum est, et quid est quod dubitationem induxit. Diligere enim in divinis potest dici vel essentialiter, secundum quod non importat nisi processionem secundam rationem; vel notionaliter, secundum quod importat processionem realem amoris ab amante; et ab utroque modo invenitur amor dupliciter dici: scilicet ut qualitas, prout amor significat habitum amantis in amante; et ut operatio, prout amor significat actum vel passionem amantis in amante. Si igitur diligere sumatur essentialiter, cum dicitur, Pater diligit Filium, dicitur diligere denominative amore qui est actus essentialis, et sicut principio illius actus, ipsa caritate, quae est substantia divina. Si autem sumatur notionaliter, tunc, si amor significat formam quae est principium hujus actus, dicitur Pater diligere Filium ipsa proprietate quae est principium processionis Spiritus sancti, sicut paternitas est principium generationis Filii. Si autem amor nominet ipsam actionem procedentem, sic Pater dicitur diligere Filium amore qui est Spiritus sanctus, vel Spiritu sancto; licet hoc non adeo expressam contineret veritatem. Et similiter est in aliis nominibus personalibus quae significant personam per modum operationis, ut verbum; et ideo dicitur, quod Pater dicit verbo suo.

Ad primum igitur dicendum, quod diligere, prout essentialiter sumitur, est omnibus modis idem quod esse, et quantum ad rem, et quantum ad modum significandi, qui est significare absolute in divinis. Unde accipiendi hoc modo diligere, nullo modo Pater diligit Spiritu sancto. Sed diligere notionaliter sumptum, non idem est Patri quod esse, secundum modum significandi; quia diligere dicitur relative, et esse absolute; et ideo non sequitur quod Spiritu sancto sit, quamvis Spiritu sancto diligit: sicut paternitas est Pater, nec tamen paternitas est. Sed sapere in divinis nunquam dicitur nisi essentialiter; et ideo nullo modo potest dici quod Pater sit sapiens sapientia genita.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est, in corp. art., amor personalis non se habet ad Patrem diligentem ut principium dilectionis, sed magis ut actus denominans; et ideo non construitur in habitudine alicujus principii, nec in habitudine formae in quantum forma est principium, sed solum in quantum forma est denominans; ut cum dicitur: Iste est agens actione. Et ideo, quia propositiones important expresse habitudinem causae, non ita est propria ista: *Pater diligit Filium per Spiritum sanctum*, sicut haec: *Pater diligit Spiritu sancto*. Quamvis etiam concedi possit, in quantum est principium denominationis, non simpliciter. Haec autem: *Pater diligit a Spiritu sancto*, nullo modo concedenda est: quia dicit principium per modum efficientis.

Ad tertium dicendum, quod non dicit actum essentialem, sed notionalem. Sciendum tamen est, quod in actu notionali, qui est diligere, duo intel-

liguntur; scilicet actus ipse, et exitus actus ab agente; et ipse actus est persona Spiritus sancti; sed emanatio actus ab agente est proprie notio, sive notionalis actus, qui est processio; et ideo etiam persona Spiritus sancti non significatur per actum designatum verbo, quia verbum significat actum ut egressientem ab agente, sed significatur per actum designatum nomine quod significat actum absolute, ut amor et dilectio. Diligere autem proprie dicitur notionem, quia diligere idem est quod amorem emittere. Unde in verbo diligendi importatur et ipse actus, qui est persona, ratione ejus secundum illum actum denominatur Pater diligens amore, qui est persona Spiritus sancti; et importat emissionem actus, ratione ejus est notionale. Sed hoc verbum *spirat* significat ipsam emissionem actus, et non actum emissum; et ideo Pater non dicitur spirans Spiritu sancto, sed actu, vel proprietate spirationis. Et simile est de generatione; quia generatio dicitur emissionem geniti; unde non dicitur quod Pater generat verbo; sed *dicere* dicit emissionem verbi, et verbum emissum; et ideo dicitur, quod dicit verbo. Verbum autem nominat id quod emissum est, et non emissionem; et ideo verbum est personale, sicut et amor; et diligere est notionale, sicut dicere.

Ad quartum dicendum, quod haec est vera: *Pater et Filius univertur Spiritu sancto*, secundum quod Spiritus sanctus est ipsa unio, sicut et amor quo formaliter univertur, ut dictum est, dist. 10, quaest. 1, art. 4, sicut eo quod ab eis procedit, sicut aliqui univertur uno actu. Nec tamen ista simpliciter concedenda est, quod Spiritus uniat Patrem et Filium; quia *unire* significat per modum unionis effective, quod non convenit Spiritui sancto. Potest tamen concedi, si intelligatur uniens formaliter, sicut albedo dicitur facere album.

ARTICULUS II.

Utrum Pater diligit se Spiritu sancto.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod Pater non diligit se Spiritu sancto. Aut enim diligere importat actum essentialem, aut notionalem. Si essentialem, communis est toti Trinitati, et significat divinam essentiam. Ergo non diligit se essentialiter Spiritu sancto. Si autem significat actum notionalem; contra: nullus actus notionalis reflectitur super eum a quo est: non enim Pater generat se. Si igitur diligere sit actus notionalis, videtur quod haec sit falsa: *Pater diligit se Spiritu sancto*.

2. Praeterea, processio Spiritus sancti secundum ordinem naturae praesupponit generationem Filii: quia Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Sed quidquid convenit Patri secundum seipsum, potest etiam sibi convenire, generatione Filii non intellecta. Ergo cum diligere se dicitur de Patre respectu sui ipsius, videtur quod non diligit se Spiritu sancto: quia sic Spiritus sanctus intelligeretur procedere a Patre per modum amoris, etiam Filio non existente.

3. Item, amor gratuitus semper in alterum tendit, ut dicit Gregorius (hom. 18 in Evang.), quod caritas minus quam inter duos haberi non potest. Sed caritas creata est exemplata a caritate increata, quae est Spiritus sanctus. Ergo videtur quod amor iste quo diligit Pater seipsum, non sit amor personalis, qui est Spiritus sanctus.

4. Praeterea, quocumque amore amat se Pater, amat se Filius et Spiritus sanctus. Si igitur Pater amat se Spiritu sancto, ergo et Spiritus sanctus amabit se Spiritu sancto. Sed omnis amor procedit ab amante. Ergo Spiritus sanctus procedit a seipso, quod est inconveniens. Ergo nec Pater Spiritu sancto amat se.

Contra, Pater eodem amore amat Filium et seipsum. Sed Filium diligit Spiritu sancto. Ergo et seipsum Spiritu sancto amat.

Praeterea, sicut amor est proprium Spiritus sancti; ita et verbum proprium Filii. Sed, secundum Anselmum (Monol. cap. 52 et 55), Pater dicit se verbo, scilicet quod est Filius. Ergo et amat se amore ab ipso procedente, qui est Spiritus sanctus.

Solutio. Respondeo dicendum, quod cum dicitur *Pater diligit se Spiritu sancto*, potest intelligi de dilectione essentiali vel notionali. Si de dilectione essentiali, sic, sicut nec Filium, ita nec seipsum Spiritu sancto diligit; sed caritate essentiali et operatione essentiali. Si autem intelligatur de dilectione notionali, sic, sicut Filium, ita et se Spiritu sancto amat: quia diligere notionaliter sumptum nihil aliud dicit quam esse principium amoris personalis, qui est Spiritus sanctus; quia amor qui significatur per modum operationis, denominat Patrem a quo est, ut Pater dicitur Spiritu sancto diligere. Et cum tota ratio dilectionis quae est in Filio, sit in Patre, et e converso; ex neutra parte potest impediri quin Pater Spiritu sancto seipsum diligit, scilicet nec ex parte spirantis amorem, nec ex parte diligibilis: quia ipse Pater ex una parte sufficiens principium est Spiritus sancti, et ex alia parte sufficiens ratio diligibilitatis in ipso est, et etiam in Spiritu sancto. Unde sicut Pater Filium Spiritu sancto diligit; ita et seipsum et Spiritum sanctum Spiritu sancto diligit.

Ad primum igitur dicendum, quod intelligitur de actu notionali. Sed sciendum est, quod cum actus omnis notionalis importet rationem principii quantum ad originem divinae personae, hoc contingit dupliciter: quandoque enim designatur (1) ratio principii respectu ejus in quod terminatur actus notionalis, ut cum dicitur: Pater generat Filium; generare enim importat habitudinem principii quae est in generante respectu generati: et in talibus non potest fieri reciprocatio, ut dicitur quod Pater generat se; quia nulla persona est principium sui ipsius: quandoque autem habitudo principii non importatur respectu ejus in quod transit actus, ut patet cum dicitur: Pater dat essentiam Filio: non enim significatur Pater esse principium dati quod est essentia, sed ejus cui datur; et similiter est in hoc verbo *diligere*, quod importat habitudinem principii, non diligentis ad dilectum, sed diligentis ad amorem, qui importatur in verbo *diligit*; et ideo in talibus potest esse reciprocatio: et hoc contingit, quia verbum *diligere* non tantum importat emissionem, sed ipsum amorem emissum; unde si accipiatur separatim id quod ad originem pertinet tantum, non erit conversio; non enim potest dici, quod Pater spirat se.

Ad secundum dicendum, quod si generatio Filii non esset, Pater non diligeret se Spiritu sancto;

(1) *Al.* aut quandoque designatur.

quia nec Pater esset, cum persona Patris paternitate constituitur. Si tamen detur per impossibile quod persona Patris remaneat, poterit per se amorem spirare personalem. Nec tamen ab hoc excluditur Filius: quia omnis Patris perfectio est etiam Filii, in qua secundum relationem originis non opponitur.

Ad tertium dicendum, quod amor gratuitus non est amor privatus, qui in alterum tendat: nihilominus tamen et in ipsum amantem reflectitur; non enim tantum proximus ex caritate diligendus est; sed etiam seipsum et quantum ad animam et quantum ad corpus ex caritate debet homo diligere; et ita etiam Pater Spiritu sancto diligit.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, Spiritus sanctus diligit se Spiritu sancto, si intelligatur de dilectione essentiali, expresse verum est; quia sicut seipso Deus est, ita seipso essentialiter diligens est. Si autem intelligatur de dilectione notionali, tunc in hoc verbo *diligere* importatur quasi duplex actus; scilicet ipse actus amoris qui significat personam Spiritus sancti, et emissio (1) amoris. Unde *diligere* notionaliter sumptum, nihil aliud est quam spirare amorem. Per spirare enim significatur ipsa emissio; sed per amorem persona Spiritus sancti; ac si diceretur generare Filium. Unde sicut Filio non competit generare filium, ita nec Spiritui sancto spirare amorem. Nec ex hoc aliquid imperfectionis in Spiritu sancto vel in Filio relinquitur, ut ex praedictis patet, dist. 7: et ideo secundum hunc sensum non conceditur quod Spiritus sanctus notionaliter diligit. Si autem ab intellectu hujus verbi *diligit* separaretur actus originis per quem efficitur notionale; et remaneret tantum id quod personale est, scilicet ipse amor: sic Spiritui sancto conveniret: quia ipse procedit ut operatio subsistens. Unde ipsa operatio est operans; et secundum hoc Spiritus sanctus etiam seipso diligeret seipsum vel Patrem; et tunc diligere non importaret aliquid notionale, sed tantum personam alio modo significatam. Unde hoc verbum *diligere* potest tripliciter sumi. Ad secundum quod dicitur essentialiter tantum; et tunc dicitur exitum secundum rationem operationis essentialis, quae est ipsa essentia, ab essentia divina; et sic Pater non diligit Spiritu sancto, et similiter Filius et Spiritus sanctus. Aut secundum quod nominat tantum personam Spiritus sancti; et sic etiam non dicitur exitum, nisi secundum rationem; unde secundum hoc convenit tantum Spiritui sancto diligere. Sed iste modus incongruus est. Aut dicitur exitum realem; et tunc simul importat notionem activam, et personam Spiritus sancti; et tunc non convenit nisi Patri et Filio.

ARTICULUS III.

Utrum Pater et Filius diligant nos Spiritu sancto.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod Pater et Filius non diligant nos Spiritu sancto. Omne enim dictum de Deo connotans effectum in creatura, est essentialiter. Sed cum Deus dicitur creaturam diligere, in dilectione connotatur effectus in

(1) *Al.* et emissionem.

creatura, quem diligendo confert. Ergo oportet quod essentialiter sumatur. Sed dictum est, art. antec., quod Pater et Filius nullo modo diligunt Spiritu sancto, si diligere essentialiter sumatur; quia Spiritus sanctus nullam rationem habet principii respectu alicujus essentialis, neque per modum denominantis, neque alio modo. Ergo videtur quod Pater et Filius non diligunt nos Spiritu sancto.

2. Praeterea, cum dicitur, Pater diligit Filium Spiritu sancto, ut supra dictum est, secundum opinionem Hugonis de S. Victore (ubi supra), ablativus construitur in habitu effectus quasi formalis. Sed in illa comparatione qua Deus ad creaturam comparatur, nullo modo se habet Spiritus sanctus ut effectus, immo magis id quod in creatura efficitur. Ergo videtur quod non possit salvari haec eadem ratio veritatis.

3. Item, sicut dilectio se habet ad Spiritum sanctum, ita et generatio ad Filium. Sed Pater non generat nos Filio; immo potius dicitur nos regenerare Spiritu sancto. Ergo videtur quod nec nos Spiritu sancto diligit.

Contra est quod dicitur Joann. 17, 22: *Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus*. Non enim loquitur ibi de unitate essentiali tantum; quia illo modo Deo non unimur; sed de unitate consonantiae, vel amoris, quod est Spiritus sanctus. Ergo videtur quod sicut Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, ita et nos.

Praeterea, sicut verbum est proprium Filii, ita et amor proprium Spiritus sancti. Sed Pater dicit omnem creaturam verbo suo; unde Augustinus (lib. 4 super Genes.): *Dixit, et facta sunt; id est, verbum genuit in quo erat ut fierent*. Ergo diligit creaturam amore suo, qui est Spiritus sanctus.

Solutio. Respondeo dicendum simpliciter quod Pater et Filius nos diligunt Spiritu sancto, sicut supra, 10 dist., expresse habetur.

Sciendum tamen est ad ejus intellectum, quod processio divinarum personarum est quaedam origo processionis creaturarum; cum omne quod est primum in aliquo genere, sit causa eorum quae sunt post; sed tamen efficientia creaturarum essentialiter communi attribuitur. Unde dicendum est, quod cum dicitur, *Pater et Filius diligunt nos Spiritu sancto*, hoc verbum *diligere* potest sumi essentialiter et notionaliter; et utroque modo vera est locutio. Si enim sumatur essentialiter, tunc in verbo dilectionis designatur efficientia totius Trinitatis, et in ablativo designante personam Spiritus sancti, designabitur ratio efficientiae, non ex parte efficientis, sed ex parte effectorum, quorum ratio et origo est processio Spiritus sancti, sicut et verbum; quamvis proprie verbum sit ratio creaturarum, secundum quod exeunt a Deo per modum intellectus. Unde dicitur, quod Pater dicit omnia verbo, vel arte sua. Sed Spiritus sanctus est ratio earum, prout exeunt a Deo per libertatem voluntatis; et ideo dicitur proprie diligere creaturam Spiritu Sancto, et non verbo. Si autem sumatur notionaliter, tunc est vera etiam locutio, sed habet aliam rationem veritatis; quia verbum dilectionis non importat ibi principalem intentionem habitudinem efficientiae respectu creaturae; sed principaliter denotabit rationem hujus efficientiae ex parte effectorum, et ex consequenti dabit intelligere habitudinem efficientiae, ut supra dictum est, 50 dist., quaest. 1, art. 3, et tunc est sensus: Pater diligit creaturam Spiritu sancto; id est,

spirat amorem personalem, qui est ratio omnis liberalis collationis (1) facta a Deo creaturae.

Ad primum igitur dicendum, quod sicut dictum est, in corp. art., utroque modo potest sumi. Si enim sumatur essentialiter, nihil sequitur inconveniens; quia Spiritus sanctus non designabit principium diligentium, sed dilectorum. Unde tunc designabitur habitudo ablativi substantive in ipso ablativo, ut dicit Praepositivus. Si autem sumatur notionaliter, nominativus poterit connotare effectum in creatura per modum habitudinis ad terminum, sicut supra dictum est, 50 dist., art. 2.

Ad secundum dicendum, quod sicut in egressu artificiatorum ab arte est considerare duplicem processum; scilicet ipsius artis ab artifice, quam de corde suo adinventi; et secundo processum artificiatorum ab ipsa arte inventa; ita etiam in processu voluntatis est duo considerare; scilicet exitum amoris ab amante, et secundo exitum rei datae per amorem ab amore (2). Unde quantum ad primum exitum se habet Spiritus sanctus in comparatione Dei ad creaturam ut effectus, sive quod est de principio, sicut et verbum; sed quantum ad secundum exitum utrumque se habet ut principium, scilicet et verbum et amor; sed creatura ut effectus.

Ad tertium dicendum, quod hoc verbum *generat* importat tantum originem personae, et non importat personam per modum actus, sicut *diligere* et *dicere* important utrumque; et ideo Pater non denominatur generans Filio, sed generatione; denominatur autem diligens amore qui est Spiritus sanctus. Generatio autem qua nos regenerat, non est per naturam, sed per voluntatem; et ideo ex parte nostra accipiendo, Spiritus sanctus est ratio talis generationis magis quam Filius, qui procedit per modum naturae.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de his quae pertinent ad Filium; et circa hoc quaeruntur duo: 1.º utrum Pater sit sapiens Filio, vel sapientia genita; 2.º utrum ipse Filius sapientia genita vel ingenta sapiens sit.

ARTICULUS I.

Utrum Pater sit sapiens sapientia genita.

(1 p., qu. 28, art. 2; et de Pot. qu. 8, art. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod Pater sit sapiens sapientia genita. Omnis enim sapiens sua sapientia sapiens dicitur. Sed Filius est sapientia Patris, qui est sapientia ingenta. Ergo etc.

2. Praeterea, omnis sapiens est sapiens illa sapientia sine qua sapiens non esset. Sed sine Filio Pater sapiens non esset, ut supra dixit Augustinus, 9 dist. Ergo videtur quod Pater sit sapiens Filio, vel sapientia genita.

3. Item, illa sapientia quis sapiens dicitur in qua videt ea quae ipse cognoscit. Sed supra dixit Augustinus, 51 distinct.: *Ibi*, scilicet in verbo. *videt omnia Deus*. Ergo etc.

(1) *Al.* collectionis.
(2) *Forte* ab amante.

4. Praeterea, Deus sapiens non diceretur nisi seipsum videret. Sed seipsum videt in Filio, sicut res videtur in sua imagine. Ergo videtur quod sit sapiens Filio, vel sapientia genita.

Contra est quod in litera ab Augustino dicitur. Solutio. Respondeo dicendum, quod quamvis Pater dicat se verbo suo, nullo modo concedendum est quod sapientia genita sapiens sit; et hoc propter diversum modum significandi in utroque. Verbum enim significat per modum operationis, quae denominat illud a quo progreditur, scilicet operantem; unde Pater denominatur dicens verbo genito, sicut et diligens amore procedente. Sed sapientia significatur per modum formae manentis in eo cuius est; unde non potest denominari aliquis sapiens nisi per id quod in ipso est, et non per id quod ab ipso est. Quidquid autem significatur esse in aliquo per modum formae vel substantialis vel accidentaliter, significatur ut principium alicujus in ipso; quia forma substantialis est principium substantialis esse; et accidentaliter dat aliquid esse, scilicet accidentale; et utraque (1) principium est operationis in eo in quo est. Cum autem Filius nullam rationem principii habeat respectu Patris, non potest dici, quod Pater Filio, vel sapientia genita, sapiens sit.

Ad primum igitur dicendum, quod sapientia Patris dicitur dupliciter: scilicet sapientia quae in ipso est, quae est essentialis sapientia; et haec formaliter sapiens est, sicut quilibet sapiens denominatur sapiens sapientia quae in eo est. Dicitur etiam sapientia Patris quae est a Patre procedens; et haec non denominatur sapiens, sicut nec homo sapiens denominatur a sapientia quam in alterum docendo producit.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus in illa ratione contra haereticum accipit sapientiam essentialiter, sine qua Pater sapiens non esset, secundum quod ab Apostolo est appropriata Filio, 1 Corinth. 1, 24: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*; et sapientia in ratione appropriata non esset, si Filius non esset: unde oportet Filium Patri coaeternum esse, sicut et sapientiam Filio appropriatam.

Ad tertium dicendum, quod videre in aliquo dicitur dupliciter. Aut cuius cognitionem in eo accipit, sicut intellectus scientiam in sensibilibus accipit, vel intellectus possibilis in lumine intellectus agentis, vel discipulus (2) in verbo magistri dicto vel scripto. Aut rem cognitam in alio repraesentatam intueri (3); sicut edificator videt artem suam in domo quam facit, vel sicut aliquis videt illud quod seipsum in libro ubi scriptum est. Primo ergo modo Pater nihil videt in Filio, quia non accipit cognitionem a Filio; sed secundo modo; quia rationes ipsas omnium creaturarum in verbo suo posuit, ipsum generando.

Ad quartum dicendum, quod quidam dicunt, quod quamvis Pater videat in verbo creaturam, non tamen ibi videt se. Non tamen video causam quare sicut per modum praedictum creaturam in verbo videt, quae ibi relict, non multo magis seipsum videat, qui perfectissime in verbo repraesentatur;

(1) *Al.* et utrumque.

(2) *Al.* discipulis.

(3) *Al.* Additur *per se* in representando intueri.

et sic etiam non est inconveniens quod per modum istum in creatura se videat, quae ipsius divinae bonitatis repraesentativa est per imaginem vel vestigium; non tamen sequitur quod Pater sapiens sit sapientia genita.

ARTICULUS II.

Utrum Filius sit sapiens sapientia genita.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod Filius non sit sapiens sapientia genita. Filius enim non alio est sapiens quam Pater, sicut nec alio est Deus. Sed Pater est sapiens sapientia essentiali. Ergo et Filius sapientia essentiali sapiens est. Sed sapientia (1) essentialis non est genita, sicut nec essentia. Ergo etc.

2. Praeterea, sapientia qua denominatur aliquis sapiens, habet aliquam rationem principii respectu ipsius sapientis. Sed Filius nullo modo sui ipsius principium est. Ergo videtur quod non sit sapiens sapientia genita.

3. Item, sicut supra hac dist. dixit Magister, sapientia genita est ipsa hypostasis Filii; hypostasis autem non significatur per modum formae. Cum igitur denominatio fiat a forma, videtur quod non possit dici sapiens sapientia genita.

Contra, omne quod per se non est sapiens, non est sapiens nisi per accedens. Sed Filius non est sapiens per accedens. Ergo est sapiens per se. Sed ipse est sapientia genita. Ergo est sapiens sapientia genita.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius quaeritur, utrum sit sapiens sapientia ingenita; et videtur quod non. Quia sapientia qua aliquis denominatur sapiens, significatur esse in sapiente per modum formae inherens. Non autem sic Pater est in Filio, sicut nec e contra. Ergo sicut Pater non dicitur sapiens sapientia genita, ita nec Filius sapientia ingenita.

Contra, omnis sapiens, illa sapientia sapiens dicitur a qua habet quod sit sapiens. Sed Filius a Patre, qui est sapientia ingenita, habet quod sit sapiens. Ergo Filius est sapiens sapientia ingenita.

Solutio I. Respondeo dicendum, quod istae propositiones, a et per, in hoc differunt; quia a designat tantum habitum principii per modum efficientis; sed per designat habitum principii secundum quodlibet genus causae; unde omne illud quod est ab aliquo, est per illud; sed non convertitur. In divinis autem non potest esse nisi habitus secundum duplex genus causae; quarum una tantum est habitus realis, scilicet per modum causae efficientis vel originantis, sicut Pater dicitur principium Filii; alia vero habitus principii potest designari in divinis secundum rationem tantum et non realiter, scilicet habitus formae, ut cum dicimus quod Pater est Deus per Deitatem suam.

Cum ergo dicitur quod Filius est sapiens sapientia, ablativus iste non potest construi nisi vel in aliqua habitudine quasi efficientis; et sic falsa est; est enim sensus, quod Filius sit sapiens a sapientia genita, et sit sapiens a seipso, quod falsum est; quia sicut

esse, ita et sapere habet a Patre, qui sapientia ingenita est. Unde dicitur per modum istum sapiens a sapientia ingenita, vel per (1) sapientiam ingenitam, si ly per designat habitum principii efficientis; et similiter a sapientia ingenita; non autem a se vel per se vel seipso hoc modo sapiens est. Aut construitur in habitudine quasi principii formalis. Hoc autem contingit dupliciter: quia quod sequitur formam alicujus rei, potest dici esse per formam illam, sicut homo dicitur intelligere per animam; vel per habentem formam; sicut dicimus quod homo per se est rationalis, quia per id quod est de essentia sua, scilicet (2) per animam rationalem; per se enim, secundum Philosophum (3 Metaphys., text. 25), significat quod est per essentiam rei. Si igitur consideretur illud quod Filius formaliter sapiens est, hoc est sapientia essentialis, quae neque genita neque ingenita est; et sic per eam et ea sapiens dicitur; sed nullo modo ab ea, quia essentia non generat. Si autem consideretur habens illam formam quae est ipsa hypostasis Filii, quae etiam sapientia genita dicitur; sic per sapientiam genitam vel per se sapiens dicitur, sive sapientia genita vel seipso.

Ad primum igitur dicendum, quod sapientia, secundum quod supponit essentiam, non potest dici ingenita vel genita; sed secundum quod supponit hypostasim; semper tamen essentiam significat, sicut etiam hoc nomen Deus. Et quare hoc nomen sapientia potius talem suppositionem habere possit quam hoc nomen essentia, supra, 3 distinct., quaest. 1, art. 2, dictum est. Et tunc, quamvis sit eadem essentia quae est Pater et Filius, non tamen eadem hypostasis; et ita non sequitur quod sapientia genita Pater sapiens sit, sed tantum Filius.

Ad secundum dicendum, quod in illis quae dicuntur per se, est aliquid de essentia rei accipere quod est principium illius quod per se praedicatur, sicut rationale de homine; nec oportet quod ipsum suppositum de quo per se aliquid dicitur, sit principium illius, nisi sicut habens vel sicut operans, ut quando aliqua operatio dicitur esse per se aliquis; ita etiam non oportet quod ipsa hypostasis Filii sit principium sui ipsius; sed ut id quod est essentia ejus, vel de essentia, sit principium formale huius quod est sapientem esse; et hoc competit Filio, quia per essentiam suam, quam communem cum Patre habet, sapiens est; et ideo per se sapiens dicitur.

Et per hoc patet solutio ad tertium.

Et quartum concedimus.

Solutio II. Ad id quod ulterius quaeritur, dicendum, quod Filius est sapiens sapientia ingenita, si ablativus construat in habitudine principii quasi efficientis; non autem si construat in habitudine principii quasi formalis; immo sic sapientia essentiali sapiens est, vel seipso.

Expositio textus.

Quidam dicunt, multiplicem hic fieri intelligentiam. Jam patet ratio istarum opinionum; quia primi accipiebant hanc praepositionem per secundum quod communiter designat habitum cuius-

(1) Al. deest per.

(2) Al. omittitur scilicet.

(1) Al. essentialiter.

cumque principii; alii vero accipiebant secundum quod quasi dividitur contra hanc praepositionem a vel ab, quae designat habitum principii efficientis; unde secundum hoc haec praepositio per designat habitum in divinis quasi formae; et sic simpliciter concedebant, quod Filius per se sapiens est.

Natura, inquit, cui contradicis, haec veritas est. In verbis istis Hilarius ostendere intendit, quod Filius non agit a se, sed agit per se, ex duabus auctoritatibus, quarum una habetur Joan. 14, 10: Pater in me manens, ipse facit opera; ex quo concludit quod non a se agit, sed a Patre in ipso manente. Alia est Joan. 8, 29: Quae placita sunt ei, facio semper; ex qua concludit quod ipsemet agit per seipsum; unde subdit: Infirmus sit non a se agendo; idest cum hoc (1) quod a seipso non agit

(1) Forte ex hoc.

DISTINCTIO XXXIII.

Utrum proprietates personarum sint ipsa persona, vel Deus, idest divina essentia.

Post supradicta, interius considerari atque subtiliter inquiri oportet, utrum proprietates personarum, quibus ipsae personae determinatur, sint ipsae personae, et sint Deus, idest divina essentia; an ita sint in personis, ut non sint personae, ac per hoc nec divina essentia. Quod enim in personis sint proprietates, nemo infirmus audeat, cum aperte clamet auctoritas (1) quod « in personis est proprietates, et in essentia » unitas. Superius quoque (dist. 26 et 27), multis sanctorum testimoniis astruximus personae per proprietates distinguantur atque determinari, ipsaque proprietates, tres scilicet, propriis expressionibus vocabulis. Cum ergo proprietates ipsae ab auctore fuerint, quibus ipsae personae determinantur et differunt; quomodo essent, si in eis non essent; et quomodo in eis essent, et ipsae personae non essent, quin ibi esset multiplicitas? Quocirca sicut proprietates esse in personis, ita et eas personae esse continentur, sicut supra (dist. 25) auctoritate Hieronymi (Pelagii), ut non pigeat revocare ad mentem, protestati sumus, in expositione fidei (ad Damasum) ita dicentis: « Sabellii haeresin delinquentes, tres personas » expressas sub proprietate distinguimus. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nomina proprietates, idest personae, vel, ut Graeci expriment, hypostasies, hoc est substantentias, continentur. Ecce aperte dicit personae proprietatibus distinguuntur, et ipsas proprietates esse personae; cuius hic verba perstringimus, quia supra latius posuimus.

Quod proprietates sint divina essentia.

Cumque de simplicitate Deitatis supra (dist. 8 per totam) dissereremus auctoritatibus sanctorum, scilicet Augustini, Hilarii, Isidori, nec non et Boetii, evidenter monstravimus Deum hoc esse omnino quod in se habet, excepto quod Pater habet Filium, nec est Filius; et Filius habet Patrem, nec est Pater; et sic esse in natura trinum, ut qui habet, hoc sit quod habet; et totum quod ibi est, unum esse, ac unam vitam esse: quod modum non iteramus, ne fastidium lectori in-

(1) Ad marginem edit. Venetae apud N. col. non notatur: Auctoritas Gregorii in Praefatione. Haec vero Nicolaus ad marginem Parisiensis editionis. Ut in Praefatione Missae de Ss. Trinitate habetur, quae praeposita ad marginem praecedentium editionum notabat ut auctoritas Gregorii, cum in Decretis dist. 1 de Consecratione cap. Invenimus eam inter novae reponat Pelagius 2 quas in Romana Ecclesia longa retro vetustate conservavit. Quomodo ergo Gregorius fuerit ejus auctor, qui Pelagii successor fuit? Ambrosii pallius videtur, cujus et stylo conformior est; quamvis in Gregorii sacramentario recensita sit, unde marginis auctor deceptus est. Sed cujuscumque sit auctoris, nulla spiritus Ecclesiae dignitas.

sequeretur quod esset infirmus, nisi a Deo ipse acciperet; idest, nisi hoc a Deo Patre haberet ut ipse ageret sicut hypostasis per se subsistens et per se operans.

Post haec a quibusdam solet quaeri, utrum una tantum sit sapientia Patris. Eadem ratione sapientia genita et sapientia ingenita, quia Deus genitus et Deus ingenitus, sunt unus Deus; quia propter communitatem formae significatae, idest Deitatis et sapientiae, dicitur unus Deus et una sapientia; sed propter distinctionem hypostasum subsistentium in Deitate et sapientia dicitur sapientia genita et ingenita.

Et sicut in Trinitate dilectio est quae est Pater Filius et Spiritus sanctus etc. Hujus ratio est, quia personale non ponit in numerum cum essentiali, quia persona non realiter ab essentia distinguitur, sicut infra patebit.

geramus. Si ergo proprietates ibi sunt, singula earum est id in quo est, et unum eodemque vita singulae sunt. Patet ergo, et proprietates esse in tribus personis, et ipsas esse personas atque divinam essentiam.

Auctoritate astruit quod proprietates sint natura.

Quod enim proprietates etiam divina natura sit, ostendit Hilarius, dicens, nativitate Filii esse naturam; unde in 7 lib. de Trinit. (in medio) ait: « Utriusque natura non differt: unum sunt Pater et Filius. Habet ergo hoc sacramentum » nativitas, ut complectatur in se et nomen et naturam et » potestatem: quia nativitas non potest non esse ea natura » unde nascatur Filius, » Item in 6 (post med.): » Nativitas » cas proprietates est, veritas est. » Item in 7 (parum post medium) dicit, quod naturae nativitas sit intelligenda esse natura Dei. Supra enim (dist. 27) dixit, quod proprium Patris est quod semper Pater est, et proprium Filii est quod semper Filius est, significans quod proprietates Patris est Pater, et proprietates Filii est Filius. His alisque pluribus auctoritatibus aperte significari videtur quod proprietates Filii Filius sit, sic et Deus; ita et proprietates Patris, et proprietates Spiritus sancti.

Quidam negant, proprietates esse personas, et divinam naturam, et quare.

Hoc autem aliqui negant, dicentes quidem proprietates in personis esse, sed non esse personas ipsas; quia ita dicitur esse in personis vel in essentia divina, ut non sint interius, sicut ea sunt quae secundum substantiam dicuntur de Deo, ut bonitas, justitia; sed extrinsecus affixae sint; atque ita esse, rationibus probare contendent. Si enim, inquit, proprietates sunt personae, non eis personae determinantur. Contra quod dicimus, quia etiam seipsis personae differunt, sicut supra Hieronymus loquens de Patre et Filio et Spiritu sancto dicit: « Substantia unum sunt, sed personae ac nomina » bus distinguuntur ». Sed iterum addunt: Si proprietates ipsae divina essentia sunt; cum essentia non differant tres personae, nec proprietatibus differunt. Quomodo enim differet Pater a Filio, eo quod divina essentia est, cum in essentia unum sint?

Responsio ad praemissa auctoritate nitens.

Horum doctrinis novis, et humanis commentis verbo Hilarii (lib. 2 de Trinit., circa princ.) respondeo. « Immemor sum est quod exigitur, et incomprehensibile: extra significatiam est sermonis, extra sensus intentionem; non eorum » tiatur, non attingitur, non teatur; verborum significatiam » rei ipsius natura consumit. Sensus contemplationem imper » spicabile lumen obaeat, intelligentiae capacitatem quod » filie nullo continetur, excedit. Mili ergo in sensu labes » est, in intelligentia stupor est; in sermone vero jam non » infirmitatem, sed silentium confiteor: periculosum minus